

426.
47.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.
**DE
VALORE MEDI-
CINAE ET CHEMIAE
HODIERNAE.**

QVAM
EX DECRETO
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN ALMA CHRISTIAN·ALBERTINA
PRAESIDE
WILHELMO HVLDERICO
WALDESCHMIDDE

MEDIC. DOCT. PROF. PRIMARIO, PHYSICES EXPERIMENTALIS ORDINARIO, ACADEMIAE SENIORE, ET COLLEGII CAESAREI NAT. CVRIOS. COLLEGA, FACVLTATIS MEDICAE DECANO, ET COLLEGII CHIRVRG.

PRAESIDE,

PRO DOCTORALI DIGNITATE, IVRIBVS,
PRIVILEGIIS RITE, MAIORVMQVE MORE
IMPETRANDIS,

IN AUDITORIO MAIORI
DIE II. ET III. MENSIS NOV. M DCC XXV.

HORIS ANTEMERIDIANIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTIT

CHRISTIANVS IOACH. LOSSAV,
ARCHIATER DVCALIS.

KILIAE, LITTERIS IO. CHRISTOPH. REVTHERI, ACAD. TYPogr.

DISSESSATIO INAGARIAE MEDICI
DE
VALORE MEDICAE
CINAE ET OCHIMAE
HODIE RINA
EX DECRETO
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN ANNO CHRISTI M. ABBREVIATA
WILHELMO VALDERRICO
MEDICE DECANO, ET CONSULE CINARAE.
CENSORES NAT. CARIOZ CONSIGLO, FECERATIS
TULIS ORDINARIO, ACADEMIAE SENIOR, ET CONSULE
MEDICE DECANO, ET CONSULE CINARAE.
LITERIS
PRO DOCTORATE DIGNITATE, IURIBUS
PRIVILEGIIS, SCIENTIA MAIOR, MORE MORB
MATERIALIBUS, IN INGENIO, MUNERE, MODO, MEC
HONORIS VIRTUTIBUS, AVIA
TAMCO TITULATUR EX HONOREM SITUM
CHRISTIANVS JOACHIM FOBBA
ARCHIATRVS DFG
CINAE, FILIAE, CIRRHOSI, REFLUXI, AGG. & C. ETC.



DE VALORE MEDICINÆ HODIERNÆ,

PROOEMIUM.

Dificilia quæ pulchra, quaque majorem mortalibus afferunt utilitatem, ea plurimis stipata esse momentis obscuris, a quibus difficulter extricari & liberari queunt, ipsius Artis medica exemplo satis patet: hac enim quantis prematur difficultatibus, ipse Hippocrates disertis verbis pronuntiat, causasque harum difficultatum graphicè, ut solet, depingit: Vita brevis, inquit, ars longa, occasio præcepit; experientia fallax, judicium difficile. Neque vero satis est, ad ea, quæ factio opus sunt, præsto esse, sed & agrum, & eos, qui praesentes sunt, & res externas, ad id probe comparatas esse oportet. Aph. I, 1. Nemo igitur vitio mihi vertet, si impræsentiarum, ubi animus est specimen inaugurale edendi, per exempla ostendam, quam fallax, quam difficilis sit Medicina non solum in inveniendo, sed etiam in applicatione theorematum physiologicorum, pathologicorum, therapeuticorum, chirurgicalorum, chemicorum, & in ipsa potissimum præsti: nisi judicio maturo, firmaque experientia illa omnia rite ponderentur & applicentur. Tibi simul patebit, quantum dogmatariorum sc̄ta hodierna prævaleat empiricæ, & quomodo medicina sc̄sa habeat ut plurimum in agrotis aque ac in medicis hodiernis? In animo exire non habeo medicinæ faciem ostendere qualis ea debeat esse. Sed quomodo illa sc̄sa habeat nostro tempore. Fasit Deus, ut omnia feliciter!

A

Per



er Medicum intelligo illum, qui habet notitiam rationum partium hominis, & externorum ad hominem, ut & mutationum, quæ ex partibus hominis inter se & externorum ad hominem oriri possunt: in his enim tota medicina consistit. Acquiritur autem hæc scientia per bonam concatenationem veritatum seu vi strictissimæ logices, partim ex observationibus aut representationibus in mente medici, per organa sensoria a sibi ex- & internis s. partibus propriis ortis, partim ex alibi aut a priori demonstratis, partim ex fonte quocunque probabili haustis. Omnes autem hi acquirendi modi multis difficultatibus gaudent, hinc mirum non est, si ratiocinium per analogiam, veri ratiocinii vices ut plurimum supplere debet, qua in re quam facile error committi, aliquando verum inveniri possit, exemplis ostendere conabor.

Ex principiis Philosophicis satis notum est axioma, quod remota causa & substituto analogo effectus cesset, & in statu præternaturali cura sit peræcta. Cum igitur in fistula lacrymali adsit ut plurimum obstructio canalis nasalis, Anellus Chirurgus Gallus reserationem eius tentat per stilum parvum, punctis lacrymalibus intrusum, & superaddita injectione per syringam facta. Idem fere tentat Petitus per stilum quandam magnum, per apertione faciem foris factam intrusum, vid. Garengot operations de Chirurg. tom. III. cap. 38. Wolhusius Anglus, per cannulam per os umgnis intrusam & intro consolidatam: alius cannulam auream in ductu ordinario consolidat; Eggebeckius os maxillæ superioris cum lato instrumento horizontaliter pertusit, & saccum cum ossibus spongiosis omnibus una consumxit, sed omnia hæc semper frustraneo cum successu, quanquam pro veris male venditentur. Nam post Anelli

Anelli operandi methodum viæ iterum collabascunt; post Petitum autem, quia circa fistulam illam, lacrymalium punctulorum producitur apertura solito major, accedente lacrymalium crassitatem & spissitudine, saccus denuo obstruitur & consolidatur: Post Wolhusii tentamen cannula in nares decidit, & membrana perfoſſa iterum unitur. Quod ad cannulam auream attinet, propter spissitudinem lacrymarum, & metalli siccitatem, non obstante quotidiana injectione per puncta lacrymalia & nares, niſi bis ad minimum in hebdomade ſtilo Anelliano immiſſo viæ aperiantur, cannula iſta patitur ſui occlusionem. Post Eggebeckii operandi modum, ab avulis corporibus id spongiosis enascitur callus, orificium tenuē ocludens. Quare in ejusmodi malo contenti eſſe debemus cura iſta crudeli, incompleta tamen, qua exſcindendo totum ſaccum lacrymalem, & puncta lacrymalia excoriendo viam pristinam, una cum collectione puriformi tollimus, oculum tamen lacrymantem relinquimus. Ex quibus videmus, quod nec sublata obſtruſione, nec ſubſtitutis canulis analogicis, aut viis novis eventus dēſideratus hic obtineatur. Confrarium ſuccedit, quando ductus ſalivalis per vulnus exterritum abſciſſus, fistulam gena mentitur, tunc enim perforata mala, reſtitutio ſequitur.

Nec universaliter verum eſt in medicina, quod, quando productum, una cum cauſa tollitur, ibi adſit ſanatio: nam in herniotomia-entero aut entero epiploceles, ſive ſit deſcenſus peritonaei ad latera vazorum ſpermaticorum, ſive deſcenſus peritonaei cavo vaginali teſtium ſit perunitus, ſive deſcenſus iſte tenuis fuerit aut crassus in ſua ſubtantia, niſi aperiatur ſimil annulus instrumento, multis cuspidibus in uno latere inſtructo, & quoad ſubtantiam peritonaei annulus circum circa dilacerando deſtruitur, latera ejus ad ſe invicem hoc modo

consolidantur, & saccus inferior sponte se separat, & demto prolapsu sive sacco, & substituta analogica consolidatione cura perfecta succedit, & herniotomiam a contumeliis liberat, multosque, imprimis navigabundos, qui a ligaturis ob motus corporis variabiles plus periculi, quam auxiliū habent, immo ab ordinariis herniotomiis, sexui nobiliori detrimentum per castrationem inferentibus præservat. Contrarium observatur in Staphylomate vel a defluxionibus acrioribus, vel variolis, vel remedii acrioribus applicatis orto: hic causis ablatis remanet morbus integer, amputato autem staphylomate, hoc aliquando non reddit, aliquando vero & tertiam recidivam patitur, quanquam tunica cornea, ubi consolidata est, longe fortior sit naturali. Similiter in excisis aut excesis fistulis a contusionibus factis, itemque in hydrocelibus in totum apertis, & a fundo consolidatis, natura aliquando sine causa aliqua bona vel salutari quoad præsentem corporis constitutionem, mala saltem consuetudine statum præternaturalem iterum efformat, quem alia vice in ordinem conservativum agit. Post amputationem autem glandularum faecium, retro velum palatinum sitarum, sive in angina inflammatarum, unde metus suffocationis: sive scirrhofarum a defluxionibus frigidis pituitosus &c. nunquam illæ recrescunt, quamvis naturales sint, licet etiam non in totum sint amputatae, ex quibus iterum observamus, tales operationes aliquando secundum intentionem medentis succedere, aliquando non.

Quin & ubi ductus aliquis naturalis præternaturaliter ita consolidatus est, ut maxima etiam vi aperiri nequeat, ibi ejus refectionem per operationem naturæ sibi reliæ impossibilem esse credimus. Interim, si uteri vagina ab exulceratione, aut a partu male tractato in medio sui plane consolidatur, ita ut menses viam sibi facere nequeant, unde tumor ventris oritur, cum metu gra-

graviorum symptomatum, quare apertio per per tornationem & cum gladiolis appropriatis dilatationem citra vulnus, adeoque sola extensio sufficienter facta ut sanguis extra hi possit, requiritur. Concrevit tamen in binis ejusmodi subiectis post operationem, vagina tortuose admodum & deformiter, aperturam crassitie calami scriptorii solum relinquens. Quis quo sae in duabus ejusmodi mulieribus imprægnationem, & naturalem foetus exclusionem præsagiret? id quod tamen evenisse eventus confirmavit.

A rerum effectibus, qui fiunt extra hominem minus recte concludimus, similes eosdem fore in homine: ignotum enim nobis est, an non in corpore ad sit contra agens, aut circumstantia aliqua effectum illum impediens. Ita a multis præscribuntur acida ad resolvendum calculum, quæ stimulando urinam promovent, & hac ratione accretionem calculi impediunt, quo modo calculus in humido tali loco detentus, cui non est compacta natura, saepius observatur dissolvi & excerni; quin & in sectione calculi in frustula & limum confringuntur idem & ad latera semi compressi & confracti apparent. Neque existimandum tamen est, acida intra corpus eadem ratione, eodem modo operare, ut extra illud, nam omnia diuretica idem faciunt, quare resolutio calculi non obtinetur ab acido ut a ci do, sed effectus tantummodo accidentaliter sequitur. Similiter extra corpus Mercurius & arsenicum mixta cum sulphure enervantur, & nociva sua qualitate privantur: intra corpus vero neque per sulphur commune, neque per sulphur in oleo destillato solutum, neque per sulphur ex acido vitriolio vel cum spiritu vini, oleo destillato, pinguedine animali facto, perfecte flavo aut semioleoso, quamvis non solum sudores, sed & narcosin excitando penetrantiam suam sufficienter demonstrant, attamen non enervant mercurii aut arsenici

reliquias, post febrium curationem per arsenicalia fixata in corpore relictas; item virulentiam tinturarum ex vitris arsenicalibus extractarum, ad affectus cancerosos in- & externe adhibitarum, testantibus id spasmis, torturis, frigiditatibus, hecticis &c. nisi causam horum malorum materiae jam destructae affingere velis.

E contrario, effervescentiae & fermentationes praesertim in debilibus, aut quantitate respectu virium excedentes, in prima digestionis officina effectum exercent haud raro inopinatum: sic acida, spiritus vitrioli communis, tremor tartari, &c. cum alcalinis terreis, e.g. lapidibus cancerorum aliisque eructationes, flatus, tormina producunt, quemadmodum a musto, cerevisia non defoecata tormina, dejectiones. Unde iterum liquet, effectum aliquando secundum hypothesin, aliquando vero contra illam evenire.

Si effectus rerum consideramus, evidentissimum est, illum, quem ab uno eodemque ente in hoc homine observamus, non semper eundem aut similem esse in altero, quod tamen aliquo modo semper presupponitur: nam per idiosyncrasiam, latentes item constitutiones morbificas, & heterogenea alia in corpore abscondita, therapeusis redditur heteroclyta. Observatum est post profligatum rheumatismum mediante turpetho minerali cum opio mixto, ab empirico exhibito, dato postea laxativo cum aliquot granis mercurii dulcis, diarrhoeam seu hypercatharsin fere lethalem fuisse subsecutam. Ex his igitur exemplis quorum numerus infinitus suppetit, satis liquefici quam facile in therapeusi, chirurgia, pathologia, chymia per analogiam ratiocinando, error committi possit, quare in tali ratiocinio medicus nunquam securus esse potest, sed ita semper agere cum oportet, ut metuendo contrarium huic quoque simul occurtere studeat.

Obser-

Observationes sunt representationes in anima per organa
sensoria ortae: ast quae non difficultates oriuntur, si ex iisdem
veritatis sunt deducenda? Quemadmodum enim ille qui opticae
est ignarus, solem pro superficie plana aut disco agnoscit, simili
ratione catarractam in oculo plurimi etiam intuentur. Cui vero
notum est, quod planum opacum in omnibus sui punctis lu-
men æqualiter reflecat, & quod omne hemisphaerium in emi-
nentiori punto lumen quam maxime, deinde vero quo ma-
gis declinat, eo minus istud reflecat, ille sibi facile persuadet,
tum ante depositionem, tum in ipsa operatione catarractam
aliquando (& hoc saepissime) pelliculosam, aliquando vero
globosam esse. In priori casu morbi causa in pellicula, in po-
steriori in ipso humore crystallino querenda est, id quod
etiam inde evidens fit, quod cuticula semideposita, in plicas
cum acu circumvolvi possit, globosa vero, & quae ex vitio
crystallini oritur, plane non. Cuticula hæc aliquando ita ap-
paret, ac si prope post iridem situm suum obtineat, aliquando
autem in medio quasi oculo: in priori casu figurâ convexâ,
in posteriori figurâ concavâ; unde vi legum opticarum erui-
tur, cuticulam istam nunc ante, nunc retro humorum crys-
tallinum sitam esse, unde optica hic majus lumen veritati in-
dagandæ accedit, quam si ipse humor crystallinus post de-
positam catarractam in oculo demortui opacus repertus fue-
rit. Per leges opticas ratio porro invenitur, quare oculus ca-
tarractæ depositionem passus, perimetrum corporum seu figu-
ras indistinctim, colores, magnitudines, motus in suo loco ubi
corpora haerent, distinctum adhibito vitro optico conspicere
possit. Item quare nullum glaucoma, nempe opacitas humo-
ris vitrei a gutta serena neque in vita, neque post mortem di-
gnoscatur? Nam corpus opacum æque minus reflectit luminis,
quam corpus diaphanum seu pellucidum, nullo colore tinctum;

&

& post mortem optimorum oculorum humor vitreus saepius est coloratus, siquidem oculi primi sunt indices constitutionis corporis. Probabile igitur ex his est quam maxime, cataractam subviridem, subcæsiam, subpellucensem, ubi fere semper simul adeat immobilitas iridis, aut minimum ejus obscurus motus, & levissima protuberantia cornea, qua deposita pupilla clara, nigerrima, cum immobili retina & defectu visus relinquitur, cum glaucomate confundi; est enim nihil aliud, quam humor crystallinus opacus, iuncta amavrosi, quæ virtus ut plurimum a calidis acribus defluxionibus, & inde progressis doloribus capitatis ortum traxerunt.

Potissimum autem in medico hoc est, ut ideas adæquatæ subjectorum artis habeat, & sibi formare possit: ast quantæ difficultates hic occurrant, nemo est qui ignorat. Quanquam enim ex ipsis ideis ratio totius medicinæ dependet, quas tam medicorum præcepta intactas relinquunt, & ut alibi demonstratas aut præsuppositas, sine ulla allegatione ubi inventiantur assumunt. Pro subiecto habent hominem & totum universum, quatenus homini unitur; in homine admittunt mentem & corpus; ex mentis operatione tam multa deducunt, sine omni facta mentione, an per influxum physicum, aut per systema adfistentiæ, aut per harmoniam quandam præstabilitam omnia illa demonstratur sint. Ex diversis ipsis hypothesisibus, plerique deducunt quicquid volunt, quicquid placet: nam enim habent cereum, undique flexilem. Exemplo id tentabo applicationis harmoniæ præstabilitæ ad medicinam, non tam ad hypothesis illam defendendam, quam ut solummodo pateat, qualis inde deduci queat veritatum concatenatio.

Objectum medici secundum istam hypothesis est totus mundus, per organa externa sensoria observabilis, unde vocatur mundus corporalis. Quia ita est, uti est & variatur; seu status

status ejus præsens habet rationem ad statum futurum, ideo est contingens ; omne vero contingens debet habere causam, & in causalium progressu non licet progredi in infinitum ; Ergo debet esse ultima quædam causa, eademque independens, per cuius FIAT, actus existentiae fit geomетrice necessarius. Deinde corpora semper possunt dividiri, sed ultimo fiunt adeo parva, ut omnem extensionem fugiant : atque hæc entia simplicia, secundum hypothesin vocantur Monades, quæ inter se sunt dissimiles, quia si essent sibi similes, essent in uno loco ; nam aliquid in ipsis reperi debet, quod ipsis dat, ut in diversis locis sitæ sint : Exempli gratia : Sit ædificium ex cubis æquilibus compositum, tunc vi structuræ unusquisque cubus accipit diversum nisum, (si cubi sunt perceptibles, unusquisque accipit aliam repræsentationem respectu situs,) nisus receptus item repræsentatio & ad repræsentationem orta mutatio in illo manet, donec actio contraria accedat. Quod si ædificium mutetur omni possibili modo, semper unusquisque cubus recipit diversam mutationem, quia ædificium non est uniforme seu simplex : ergo reperiatur in unoquoque cubo ratio vel causa, quare sit in dato loco ; nam si non haberet in se talia attributa, non esset in illo vis ad producendum talem cubum, necessarium pro constructione ædificii ; Quæ tamen diversitas in compositis ob infinitam parvitudinem inobservabilis est. e. g. Sit cubus ex cubis infinite parvis conflatus, & aliud ex sphæris infinite parvis : si partes quoad observari queunt æqualiter sibi cohaerant, effectu ad alia corpora æque ac adspectu erunt æquales, nempe accidens illud respectu inæqualitatis superficie erit infinite parvum. Hoc etiam a posteriori & per experientiam confirmatur, nulla scilicet perfecte sibi similia in mundo existere, ita aurum Japanicum ab auro Hungarico, stannum Anglicanum a Germanico in subtilissimis, colore, ductilitate aliqualiter differunt : ergo & omne punctum auri in frusto au-

ri est dissimile, quanquam hæc dissimilitudo diversitatem in mutationibus chemicis non inferat.

Monadibus hisce porro tribuitur vis percipiendi totum universum, secundum puncta assignabilia universi ubi sunt, e.g. speculum, & recepta perceptione se propria vi mutandi & movendi sine prægresso ratiocinio, qualis actus monadum mutuus, vocatur harmonia universalis præstabilita. Propria autem vi semet ipsas mutare istas monades, id inde probatur, quia operationes chemicæ assimilationum, mutationum aliarumque, per purum mechanismum & specificam gravitatem figuræ &c. deduci nequeunt, adeo ut necessario recipere debeat ideas.

In animatis observamus cogitationem & extensionem, quæ, cum sint naturæ contraria, pro duabus diversis substantiis sumuntur, nempe pro mente & corpore: cogitatio est applicatio regularium logico-moralium, & extensi operatio est applicatio regularium motus. Datis in actu regulis logico-moralibus oriri debent certæ regulæ motus, pro ratione illa, quæ inter eas intercedit, vi fundamenti possibilitati & perfectionis ad existendum, ergo ad præsentem conditionem corporis se mutat anima in sua natura sive in suis accidentis & corpus suo modo contra; atque hæc mutatio vocatur harmonia præstabilita, & quia mens est mutabilis (per priora) etiam non a se, sed eadem ratione a causa independente ortum suum habet. Cum vero dependens ab independenti non possit fieri independens, nam ens ab alio converteretur in ens a se, quod est absurdum, adeo ut ens independens mundo tam corporali, quam mentali continuo substantialitatem, id est, ut sit, & quia quod est, est uti est, ergo & ipsi tribuit ut sit uti est i.e. harmonicam vim influit. Per tales harmonias commode explicatur ordo naturæ naturalis: an vero sit harmonia quædam mentium, de illo nihil nobis constat, quia mentes a corporibus separatae inobservabiles sunt, quemadmodum nec mentium

tium progenatio nota nobis est. Adeat deinde etiam operatio gratiae, quando Deus præter ordinarium naturæ cursum in mundo agit, influit, mutat in solatum hominum, ex amissione imaginis Divinæ contra leges naturæ & perfectiones mundi peccantium.

Prolixius paulo hæc recensenda erant, non quod hypothesis istam nobis defendendam sumamus, sed ut, saltem ostendamus applicationem horum principiorum ad medicinam, quandoquidem enim per mechanismum aut alia ratione nemo facile deducere valet, quomodo unum tribuat alteri ut fiat sibi simile, quemadmodum fieri observamus in contagio pestis, varioloso, venereo, canis rabidi, aliquisque ubi minimum corpus facit, ut totum sibi simile fiat, ita quidem, ut hac ratione in infinitum progreedi liceat, quod tamen absurdum esse volunt Philosophi. Quod si vero applicamus rationem harmoniæ universalis, ubi ultima constituentia semetipsa mutare valent, secundum ideas ex aliorum præsentiâ ortas; tunc facile concipi potest & explicari talis assimilatio. Per harmoniam præstabilitam conceptu facilis fit formatio infantis, vires imaginationis matris in foetum: item operationes chemicae fermentationum & putredinum per activitatem propriam monadum. Per operationem gratiae Divinæ, medicus convincitur, quod, et si omnia adhibuerit quæ artis sunt, rem tamen non semper succedere, & quod aliquando sine applicatione profundæ scientiæ multo felicius omnia cedant, id quod ægrotos æque ac medicos pios reddit, & si hæc in praxi pie ac erudite considerentur, quæ saepius pro velo ignorantia usurpantur, conscientia medica, & ægrotantium fiducia in medicos multum extollerentur, & vanæ arcanorum jactantiae, singularis experientiæ & scientiæ prorsus cessarent.

In applicatione scientiarum mechanicarum ad medicinam ingens sane defectus observatur, quanquam multi de mecha-

nismo multa jactitent: si enim opticam & mechanicam osteologicam excipias, nil nisi generales quædam regulæ scientiarum mathematicarum, exigui in medicina usus remanent. Exemplo sufficienti esse potest decantatus ille sanguinis circulus, ubi leges motus fluidi in corporibus flexibilibus, applicari debent, atque hæ præsupponunt notitiam figuræ & magnitudinis cylindrorum una cum constitutione ipsius fluidi. Sed quinam defectus hic non occurrunt? Ut exempli gratia, si assumamus globulum sanguinis ex sex aliis minoribus compositum, adeoque sexagonum pro sphæra, hic in circumvolutione cycloidem in plano vasorum servans, frictu calorem producit, cum tamen in spiritu vini rectificatissimo, inflammabilia fortissime inter se agitata sibique affricta e. g. lignum contra lignum in alcool vini demersum non incalescant.

Circa mechanicam actionem medicamentorum magna quoque oritur difficultas, quando limatura ferri subtilissima ab uno pro pulvere stomachico confortativo, ab alio pro gladiolis scindentibus & vix non veneno; pulveres terrei & calcarei a quibusdam pro cordialibus habentur, quia acidum quod lactis coagulum & inde anxieties, cum aliis consequentiis producit, invertunt; alii vero per demortuorum sectiones educti, talia digestionem nullam admittere, irresolubilia esse, & in pultem crassum abire, adeoque nocumento potius esse, quam emolumento. De actione mercurii in corpore variae etiam & diversæ occurrunt opiniones, alii enim per pondus, alii per mobilitatem, aut divisibilitatem in minima, alii vero per incognitam vim, qua tanquam venenum solutum agat, illam explicare satagunt. Si ex aspectu & tractatione manuali vel tactu, subiecto alicui vim saponariam adscribimus, ut herbis laetescientibus frigidis, verb. gr. taraxaco, quod tamen diureticum est aliquatenus acre & corrosivum, ita ut ardorem stomachi, & tum febrilem, situm, imo mixtum cruentum nonnunquam

quam inferat, qui effectus contrarii plane sunt virtuti sapona-
riæ. Vicissim nec dici potest, quod sapo chemicus ex sale al-
cali fixo aut volatili, cum oleo animali, vegetabili, expresso,
destillato, empyreumatico, minerali paratus, verb. grat. sapo
Venetus, in corpore agant ut sapones, hoc est, abstergendo,
resolvendo, incidendo: sed potius vi stimulante acri, nam in
parva quantitate nil resolvere possunt, in majori vero corro-
dunt, unde sitis, inflammatio, febris.

In diagnosi morborum, quanquam observatores mere
theoretici multum sibi tribuunt, særissime tamen status occur-
rit maxime dubius, ut quando per symptomata certo agnosc&
a se invicem distingui debent, e. g. vesicæ calculus, spasmus
colli vesicæ, tumor ulcerosus ante collum vesicæ situs, ita ut
post mortem demum lis illa plerumque decidatur. Idem fit
in hepatide, peripnevmonia vera, notha, pleuritide spuria, ve-
ra, sanguinea, pituitosa, spasmodica, habituali seu consuetudi-
nali, symptomatica, ex metastasi morborum orta, v.g. podagræ,
arthritidis, scorbuti, luis veneri. Qualia særissime quoad ante-
cedentia æque ac præsentia sunt imperscrutabilia, quæque o-
mnia tamen differentem postulant tractationem, ne dicam de
morbis complicatis. Si enim diagnosis completa habet cogni-
tionem causæ prædisponentis, procataræticæ in- & externæ, si-
gnorum diagnosticorum, prognosticorum, pathognomonicò-
rum, anamnesticorum, epigynomenum, symptomatum morbi,
symptomatum causæ, symptomatis symptomatum &c. hæc enim
cognitio medicum theoreticum ab empirico, qui solo morbi
nomine & aliquali analogismo contentus est, distinguit; quan-
ta inquam non est difficultas, talem exactissimam cognitionem
ex quoconque ægrotō perfekte haurire?

In preservatione morborum sive ad removendas causas
prædisponentes & procataræticas, animi affectus, tanquam fre-
quentissimos morborum parentes probe considerare & exami-

nare oportet, an per leges morales politico theologicas, aut consuetudinum, regiminum, medicamentorum, semper & quando sint mutabiles. Primus animi motus in actum positus, oritur vel ex constitutione corporis, ut cogitatio, malum hypochondriacum, furor uterinus, febris: vel a rebus quæ extra hominem, ergo in ejus potestate non sunt, nam nec se nec externa formavit, ergo non potest dum cogitat efficere quin non cogitet: hæc enim ut existant, habent rationem in Creatore & Conservatore totius universi, nam connexio totius est ratio creationis. Et quoniam nihil est sine ratione sufficiente, ideo nifus affectus seu voluntatis est geometrice necessarius, indeque diversus pro ratione differentia similitudinis hominis, & externorum ad hominem. Cui igitur differentia specificia hominis, itemque connexio universi specialis tam præsens quam futura nota est, ille regimen præservativum, morale & medicinale cum fructu & emolumento præscribere potest. Attamen medicus etiam per medicamenta & regimina aptitudinem ad exercendum animi affectus, tam constitutionis quam consuetudinis, & incitamenta secundum constitutionem corporis prædisponentem moderare, aliquando tollere potest, idque non solum in homine, sed etiam in brutis, nam felis saepius verberata murem non petit: ubi proverbium illud: naturam expellas furca, & realiter & moraliter non usque adeo quadrat.

In therapia, parte illa medicinæ primaria, maxima observatur confusio ex qua nemo se extricabit, nisi qui aliena æque ac sua examinare & tolerare potest: nam unusquisque hic sequitur suam sectam, theoriam, methodum, experientiam demonstrativam, apparentem, fictam. Alii contenti & animo satis quieti sunt, si propriæ & adamatae sectæ placita sciant, de aliis vero minus sunt solliciti. Ex diversis ejusmodi fibique contrariis medendi methodis elegans scilicet & harmonicum

nicum mutuumque ac fraternum consilium oritur, præfertim si alteri alterius placita & principia sunt semiignota, aut si quisque auctoritatem pro sua secta affectat, aut si adhuc simul arcanices & specificorum amatores tumidi, lynceisque oculis instruti observatores. Hic demum certo appareat, quid & qualis sit therapia & maxime elucet, quæ sit vera indicatio ab indicante orta, producens per theoriam medicam ipsum indicatum : Si enim theoriæ differunt, differunt & indicationes, si experientia, differunt indicata, unde levi accedente præjudicio aut ratione etiam politica, facile in concilio medico bellum oriri potest, & sub tali rerum statu medicorum turba perdit Cæsarem. Acerbius vero multo inter empiricos res succedit, quos inter nulla ratio evincere potest, cuius specificium aut arcanum primo loco sit adhibendum. Præterea in applicatione methodi medendi haud minor difficultas quam periculum occurrit, e.g. quando per venæfectionem, evacuaciones, antiphlogista, præcavetur inflammatio & insequens suppuratio, gangrana, sphacelus, ut in statu febrili variolarum aut peripneumoniae veræ, ubi in primo casu difficultas est tam cito inveniendi gravitatem & quantitatem veneni, humidum & vim vitae requirentis; in altero casu per dolores & rationem constructionis organorum sanguineorum, phænomena autem circuli tolluntur, indeque oritur impossibilitas concludendi quantitatem obstructionis.

De præscribendis formulis notandum est, quod hæc scientia in medico & præsupponatur, & necessario etiam requiratur, quemadmodum in pharmacopæo earundem præparatio: quodsi hæc aliquando non succedat, in malam partem more vulgarium hominum & ex more seculi interpretatur & divulgitur; si excipias formulas usitales memoriae impressas, veluti concio ex postillis & collegiis hausta, regulas non dare præscribendi, idemque hoc esse, ac si coquo præscribere velis regulas

gulas tum generales, tum speciales, quo modo, quaque ratione ex infinitis subjectis culinariis cibos & forma & gustu desideratos semper conficeret, cum tamen talis formula aut recipe ut vocant in essentia nihil aliud sit aut presupponat, quam totam scientiam chemicam, & notitiam differentiarum specierum, (non rite etiam preparatorum, adulterationum, suppositionum) in illo pharmacopolio ubi recipe istud conficiendum erat exstantium. Si supponamus pulveres posse misceri ita ut retineant faciem externam, inodoros non fieri odoratos, si sibimet invicem non sint contrarii, quemadmodum nitrum cum cinnabari it. Vitriolum martis cum vitriolis item aluminibus ex aceto destillato cum metallis & calcareis confeditis se quidem non destruunt, in primæ mixtionis trituratione tamen exsurgit odor aquæ fortis, ab admixto turpetho minerali ex combusto sulphure, & inde liberato acido vitriolico in secunda mollescunt in pultem brunum, unde semper in præscriptione tali quam medicus nondum ipsem præparavit famæ periculum oritur, & si medicis omnis remediorum dispensatio prohibetur, necessario coacti sunt ad formulas usuales aliquo modo confugere, & periculum insimul incurrere, ut si in consilio medico alterius formulæ ingrediens quoddam adjungit, adversa & minus exspectata quandoque eveniant. Pharmacia seu crux medica cui argentum, uti medico solus honor reservatur, si recte privilegiata parumque pseudo-politica est, caput suum extollit supra medicos, eorundemque facile evadit magistra, quia methodum, quantitatatem scientiæ, & numerum praœeos, nec non quales ægros medicus habeat, tanquam fundamenta commendationis accipit, & uti Judæus libros mercatorum inspiriens, scit valorem & medicinæ & bursæ medici, illa inquam omnne respective ratione temporis & materialium non distribuit, siquidem non tam ad salutem civium, quam ad acquirendam pecuniam ars ista ut plurimum exercetur. Quin & rem tam

a probo vel artis perito ex festinatione forte peccante, quam ab alteratore & reparatore deperditorum eodem loco habet. In præparatione medicamentorum effectum secundum intentionem medici egregie exsequitur, optimaque observationum fundamenta saepius suppeditat, quando scilicet oleum cinnamomi, ligni rhodii, absinthii &c. essentiis spirituosis jungit, aut quando mediante aqua & per lotionem e simplicibus oleum, oleo amygdalarum dulcium simile eluit, ac si hoc per naturam illis inesset, unde diversæ classes oleorum purorum, & vulgatum sive usualium forte oriuntur.

Ex his omnibus satis apparere arbitror, quod medicina hodierno tempore, sit fere maximam partem empirica, atque adeo puros putos empiricos, præter rationem, ab his qui puri sunt theoretici indigne haber. Videbimus tamen, quænam inter utrosque esse possit prærogativa? Empirici nihil assumunt, quod non ita in aprico sit positum, ut a nomine in dubium vocari possit: attamen non inquirunt in causales rationes effectuum, sed solummodo historicam cognitionem morbi, & effectuum medicinalium querunt; hoc est, colligunt phænomena, & applicant hanc notitiam ad similes occurrentes casus, omniq[ue] possibili modo, per simplicem occursum sensuum, observant subiecta medica, partes scilicet hominis, & res quæ extra hominem sunt, cursum sanitatis, morborum, rerum quæ nocent, quæque prosunt. Non querunt, qualis sit causa febrium qualesque modi curationis earum, verb. gratia, per corticem chinæ chinæ, si modo cognitum ipfis est, corticem illum esse amarum, subausterum, subadstringentem, subaromaticum, subnarcoticum, ejus denique defectu simile mixtum componere student. In chemicis solvunt metalla per hepar sulphuris, aut sulphur crudum, aut aquas stygias, non solliciti de modo, aut causa hujus solutionis, nec querunt an unum metallum

C

aliud

aliud præcipitet specifica levitate, an alia ratione? Item quare odor tinturarum ex metallis aut semi metallis, per sal alcali aut sulphur quoddam extraætarum differat, & quare solutiones, ratione quantitatis proportionum respectu ingredientium, longe fiant diversæ? ut si regulus antimonii sive totus sive ex parte in spiritu vini solvatur: dummodo de eventu sint securi. Hæc empiria ut plurimum a pharmacopolis, item ab iis qui pharmaciam deteruerunt, imprimis a sume privilegiatis barbitonforibus, ut & ab iis qui privilegium tonsorale vendiderunt, aut sibi illud neque per pecuniam, neque per matrimonium acquirere possunt, exercetur: cum tamen vir honestus citra necessitatem ultimam, cancellos officii sui non egreditur, sed rectius quisque in sua manet arte, ut barbitonfor & pharmacopola, etiam si haberet totius medicinæ prægustum. Hujus enim ordinis empirici, totius artis fundamentum reportarunt ex officina deserta, & medicorum commercio, non ex genuinis fontibus, sed ex libris vulgaribus, germanicis, qui sine labore unumquemque reddere possunt, si Diis placet, sui ipsius & aliorum medicum. Hi in praxi talia faciunt experimenta, quæ nullus vir honestus auderet: nam ignorantia est summa in experimentando audacia. Hæc autem omnia rite contemplando & perpendendo, salva ac illæsa conscientia, multæ veritates, alias ignotæ addisci possunt.

Theoreticos puros quod attinet, qui scilicet in sola speculatione acquiescunt, & anatomiam ex tabulis æneis aut artificiose preparatis quibusdam, quosque incruentos anatomicos vocant: pharmaciam, chemiam, chirurgiam auditu, lectu, raro visu: pathologiam, therapiam obiter vel audiverunt, vel libros legendo artem summo cum honore addidicerunt. Hujusmodi homines, quamvis jactent chemicarum encheiresium, etiam occultiorum notitiam, præparationum anatomicarum, pharmaceutorum egregiorum & difficiliorum, operationum manualium arca-

arcana scientiam, indignante Aesculapio artem cum ratione simili modo exercent, quemadmodum tornator aut aliis artifex ex libris mechanicis eductus, sine instructione manuali artes istas exercet; hi alias medicastrorum juxta se despiciunt & odio habent, existimant enim se solos omnem doctrinam more consueto sibi comparasse, & soli haberi volunt digni intrare in tale doctum corpus. Interim tamen ejusmodi homines methodice nonnunquam interficiunt, id quod empiricus tantum facit analogice: nam ex falsa theoria curiosae observationes aequo oriuntur, quam ex temeraria empiria. Et quando empiricus cum tali theoretico invicem concurrunt, aut clam ipsisque insciis, aut palam, admirabile sane solatum ægroti afferunt, unus enim insistit experientiae more solito, alter superbe rationes fingit, uterque vi scientiae sibi propriæ, unde nihil aliud quam confilia absurdâ, imo noxia exsurgunt, etiamsi quisque eorundem secundum animi honestatem omnia sincere, sed secundum scientiam propriam peregerit.

Ex hisce omnibus facile etiam apparent, quam difficile sit medicum inculpare comissi alicujus erroris, aut perversa tractationis ægrorum, cum levissima circumstantia totam rem variet, adeo ut medicus, absentem medicum ejusdemque actiones perpetram ut plurimum, malaque cum conscientia dijudicet. Imo illi etiam, quibus reipublicæ medicæ salus, publica auctoritate concredita est, patroni obstetricum, pharmacopolæ & chyurgi civitatis, in actiones aliorum medicorum difficulter inquirere, aut de iis vera testimonia ferre poslunt. Non jam dicam ex tali discordia, totam auctoritatem, & honestum lucrum medicorum sape peri-
re; haec enim omnia vergunt in despectum & Artis & Artificum.

Ipsa quoque ægi in medicum fiducia difficulter sèpius, imo lubrico fundamento innititur: illa enim præsupponit in medente notitiam genuinæ theorizæ, observationum, partium me-
dicinæ,

dicinæ, prærequisitorum, præxeos. Nam per ea quæ vir etiam alias honestus ex persuasione scientiæ erroneous aut falsæ concludit, aut per modestam quandam taciturnitatem, doctissimus ac experientissimus quisque & ægro, & alii medico sæpiissime apparabit. Quæ omnia facilius in apricum prodeunt, quando morbus aliquis intuitu periculosisssimus, nihil tamen funesti in recessu habens; aut e contrario malum revera summe periculsum aut incurabile, tanquam levissimum in ægro, præsertim timido & animi imbecillioris occurrit. Talis enim morbus si in melius mutetur, non multum equidem sed parum fiducia; si in pejus ruat, diffidentiam procurat. In priori autem casu fiducia ægri in medicum mirum quantum, sed citra meritum omnne augetur. A talibus autem fama, fortuna secunda aut adversa medicorum haud raro dependet, præsertim si tali in loco vivant, ubi per longam, sed pessimam consuetudinem adeo inepte de eorundem actionibus judicatur. Male autem conqueruntur de fortuna sibi adversa, quasi in cuiusvis potestate situm sit, locum sibi convenientem eligere in quo praxin exerceat: ignoramus enim universi constitutionem, quidque unus locus præ alio in ejusmodi circumstantiis peculiare habeat. Verus autem, pius, doctus medicus ex consideratione istorum omnium, maximum haurit & usum & oblectamentum, quando operationes medicinae rationalis, dogmaticæ, in quantum hæc alias notitiae communis & vulgaris longissime post se relinquit, contemplatur. Atque hæc animi dulcedo omni fortunæ merito præfertur, ita ut ex omnibus istis difficultatibus quæ in arte occurrent, summa in medico oriatur animi tranquillitas, quando ille habet exercitium practicum inveniendi illa, quæ per naturam sibi contiguam possibilia sunt, eruendi rationes effectuam naturalium sui corporis & sibi contiguorum, sibi & aliis speciatim, & generaliter societati utilium, ex. gr. etiam forensia, quoad

quoad se, & quoad externa, quantum possibile, & in quantum ipsis contigua sunt per rationem in quantum nota, constitutionis universi statum formare optimum, nempe quoad morborum curationem, sanitatis conservationem, exercitium instinctuum naturalium, remotionem contrariorum, conservationem societatis.

Hæc est animi illa tranquillitas perfectissima, quam non agnoscit aliis, nisi cui nota est ratio, qualis sit status sui optimus, & quare hoc potius sit, quam non sit; agnoscit identidem & fatetur, quantum ipse absit ab illo perfectionis gradu. Ratione autem systematis mundani facile comprehendit, quare defectus perfectionis sibi sit necessarius? Adeoque in Arte illa, ubi saepe ipsa cessat aut cessare debet humanitas, quasi in Stoici animi exercitio, famæ præterea, fortunæ periculo; in Arte quoad scientiam haud raro formidini contrarii obnoxia, difficillima in indaganda veritate, panem, satis ut plurimum circumcisum quaerit, tranquillo animo, intrepido pectori, mente recti conscientia. Quæ vero per Artem, per circumstantias, per conditionem ægri detegi non possunt, in iis omnibus nihil temere & sine ratione fingere oportet, ne ex tali fictione medicina Ars no[n]cendi potius quam medendi fiat. Suos enim, sibi que in natura præfinitos terminos omnis habet.

Scientia humana.

ad hanc sciam non resurget, sed in logico, munitione, militari, in bello, etiisq[ue] ab munitione, sive exercitu, munitione, incedi leviter rebus quibus munieris. De rebusq[ue] bellicis incedi munitione, aut in exercitu, sive in bello, leviter incedi munitione, cumq[ue] res munitionib[us] ratione, & cura, leviter munitione, horumq[ue] solo uno maxili hec, exercitus in bello, si in tempore dominis leviter mulieribus, trahitis leviter in bello exercitus, mulieribus leviter teat, mutuari possit, ex-

mittit.

C 3

SE-

SECTIO ALTERA.
DE VALORE CHEMIÆ
HODIERNÆ.

In hac tractatione quædam ratione chemiæ in specie tentatūrus sum, placet enim a priori aliqua deducere, atque hæc iterum per experimenta confirmare, quia hoc idem est, ac si experimentis deducerentur & deinde per se demonstrarentur. Et quia chemia circa parvissima corpuscula, in quantum nobis observabilia versatur, corpora vero servent leges mechanicas, ideo ratio mutationum primo in talibus legibus querenda, deinde mutationes, quæ per eas leges explicari nequeunt, per simplicissimam & brevissimam theoriam sunt explicandæ; nam ob simplicitatem & brevitatem theoriam probabilior est, quia natura, ut a perfecto artifice orta, brevissima via necessario agit. Ex his igitur tanquam per exempla, ut valor Chemiæ innotescat, sequentia consideranda veniunt.

Mixtio per se spectata quatenus ex diversimode figuratis diversæ magnitudinis, vario motu præditis corporibus constat satis ostendit, quod specificæ gravius per proportionatam magnitudinem non cadat in spissō, spissum enim est quasi hamosum mechanicum, ergo specifica gravitas non tanta est ut hamositatem superare possit, contrarium de specificæ leviori in spissō sentiendum est. e. g. arcanum duplicatum vel habet nitrum vel vitriolum admixtum; nitrum antimoniatum habet nitrum & antimonium diaphoreticum cum paucō nitrifixi, fel vitri terram, sal alcali fixum cum oleo vitrioli saturattum vel sal alcali vel acidum, vitriolum vel alumēn cum sale alcali fixo præcipitatū habet vel vitriolum, alumēn vel saltem eorum

rum terram, vel sal alcali &c. quæ cæteroquin idem sunt ac nitrum cum sulphure detonatum, aut hepar sulphuris ustulatum. Vis autem miscibilis spissorum distensione minuitur, hamositas enim fit rarer indeque & effectus exemplo Tartari vitriolati: ante vero dicta genera impura, solutionibus & crystallisationibus, ab adhærescentibus liberantur, similiterque unctuosum pingue s. oleosum a salibus, mediantibus solutionibus separatur.

Quando specificie gravius est infinite parvum, aut nimis planum & tenue, tum in graviori fluido non cadit ad fundum, quia gravitas ejus tanta non est ut subjectis motum localem inferre possit: e. g. Minera cadmiae grysea quæ venerem tingit, item minera cadmiae communis terreæ, quæ venereum non tingit, in aqua forti aut aqua Regis soluta, deinde per spiritum urinæ purissimum præcipitata, liquor inde separatus & leni calore destillatus, ut sola aqua inodora insipida, non vero sal ammoniacum transeat, colore flavo prodit, quæ repetitis rectificationibus deponit terram illam flavam insipidam; ergo hæc terra probabiliter hac ratione inhæsit aquæ.

Specificie æqualiter gravia, item volatilia miscentur sibi invicem & mixta manent, quia non adest causa separationis. Moto autem fluido per ignem aut externa, specificie graviora in illo non cadunt, quia continue accipiunt impulsum ad motum localem variandum, e. g. oleosum unctuosum grave ex urina non cadit sub coctione, sed dum refrigeratur: huc specificat ventus, flamma, quæ hæc secum abripere possunt, item sublimatio, destillatio.

In mixtis si unum accipit motum intestinum, mixtio separatur si specifica gravitas eorundem differat, quia motu in testino quævis particula situm ad alteram mutat, ergo nifus, simul & hamositas & cohaesio mutantur e. g. Saturnus cum regulo antimonii martiali & marte mixtus, levissimo igne, ut ferrum sufficientem ignem non accipiat, tamen funditus & mars cum aliquali portione reguli

reguli quasi pulverulenter separatur, & vi levitatis specificæ toti innatæ.

Duo mixta specifica gravitate differentia, addito caloris multiplo una fluunt, subblimantur, destillantur, quia unum quodque suam proportionatam quantitatem caloris accipit, & motus eorum fit eodem tempore, ergo manent conjuncta e. g. Aurum solutum in spiritu salis cum addito f. q. spiritus nitri aquæ fortis, vel nitri ex Spiritu nitri vel ex Spiritu nitri & Spiritu salis ammoniaci conflati, vel in aqua forte cum multo sale ammoniaco, (quia spiritus nitri spiritum salis liberat) si solutio per spiritum salis ammoniaci seu per sal volatile quocunque saturatur, deinde destillatur & sublimatur, (nam non adest metus detonationis) prodit sublimatum coloratum, remanet calo auri purissima; ex sublimato per alcool vini trahitur tinctura, relinquitur Sal ammoniacum purum (non sal volatile,) sol cum spiritu salis junctus, est in fumo destillantis salis ammoniaci (quia ibi major absumptio specificæ gravitatis quam in ære. Nam non sequitur quia butyrum Antimonii transit, ergo omnia metalla per spiritum salis transeunt, tamen verum manet veterum dictum quod ab eo volatilisentur.) Idem de marte cum sale ammoniaco sublimato sentiendum, quia ibi præcedit spiritus urinosus, & sal sublimatum separatur in sal ammoniacum & vitriolum, quod fieri non posset, si sal ammoniacum tanquam aquila elevasset metallum. Eadem autem calore minimo separantur, ratione non absimili priori e. g. Oleum vitrioli ab aqua separatur leni calore, quia acidum ob insufficientem ignem non fit volatile.

Quantitas corpusculorum ultimorum s. observabilium materialium est mensura earundem, orta ex illorum densitate seu impenetrabilitate & magnitudine conjunctim, cum corpuscula possint esse diversæ magnitudinis; magnitudo e. gr. per cubos divi-

dividitur, ergo cubus datus corpusculi dati, quo plus densitas continent, eo major quantitas materiae est in corpusculo: (si corpuscula coadunata fuerint, oriatur specifica gravitas, unde pumex qui gravior aqua, huic tamen innatet, sic olea quanquam natant, possunt tamen majorem quantitatem materiae habere.)

Gravitas per se spectata est ut quantitas materiae, id quod probatur, quia omne punctum materiae habet nisum versus centrum telluris, ergo quo plura puncta eo majus aggregatum virium. Nisus ille vel a motu fluidi circa tellurem dependet, uti aqua in gyrum acta pulveres in medio sui cumulat, & tum eadem est ratio quantitatis motus receptibilis, prout quantitas materiae quae in globo plumbeo per magnam dosin pulveris pyri explosi, & ligneum globum simili modo tractatum.

Calor omnia penetrat, solvit, extendit, i. e. fluida reddit, sed gravitatem propriam non alterat. Prout quantitas materiae ita quantitas caloris receptibilis: assumo hoc quia calor cum omnibus coit ad tempus, & deinde ratione externorum illa deserit iterum, & quia nullum experimentum notum est, quod monstrat calorem cum materia in unum abiisse; dum remoratur agit, reactio corporum ex quantitate materiae mensuranda, item expansio est ut vis extendens, haec ut caloris copia; hinc expansio eo est major i. quo majus spatium occupatur ideoq; & i. specifica levitas major, & quia expansum est distensum cum aere mixtum ideo 3. quo attactu frigiditas major, e. g. & Vitrioli coagulatum & spiritus vini rectificatissimus majore calore opus habent ad elevandum quam aqua, & majora recipientia vasa requirunt, & haec frigidora esse oportet quam in aquae destillatione.

Cum ex coadunatione corpusculorum oriatur specifica gravitas, inde potest esse quod olea coquendo calidiora siant aquae coquenti: nempe ut plus densitatis continent, nam in iis

D

stan-

stannum fluit. Quamvis non demonstratum sit quod phlogiston contineat materiam caloris.

Calor tendit quaquaversum, ergo neque levis neque gravis dici potest, concluditur hoc si per tubum horizontaliter fistum pellitur calorificum e. g. flamma, fumus &c. tunc tubus circumcirca ad thermometrum æqualiter calidus est.

Quia calor quaquaversum tendit, opposita frigida calorem absorbent, in frigida materia enim non est calor, ergo nihil est quod impedit cur non eo tendere possit, inde mixtum quod ex diversis corpusculis quantitate materiae differentibus connixis constat, tantum caloris potest recipere, quanta proportio quantitatis materiae ad cubum mixti corpusculi, e. g. oleum Vitrioli ignem carentem recipit, sal volatile non, sal ammoniacum, secretum Glauberi medium calorem recipiunt. Omnia possunt cum pauca quantitate caloris misceri, & cum sufficiente quantitate caloris saturari e. g. in ferreum cubum carentem aqua non intrat. Calor, aëris, & aqua quia omnibus operationibus chemicis adsunt per se possunt considerari, & reliqua subiecta chemica etiam per se possunt considerari, nempe quid inter ea contingat, modo abesse ab igne aëre & aqua.

Distensio est cum data materiae quantitas majus spatium occupat quam prius occupaverat, estque duplex, quando materia fit specifice levior, & quando quantitas materiae mixta augetur, in qua distendenda est materia. Congregatio s. cumulatio est oppositum distensionis.

Cum omne in rerum natura est determinatum ergo & divisibilitas materiarum, in quoad cubus materiae plus corpusculorum continet, & corpusculorum, in quantum ex pluribus aliis conflatum est corpus.

Specifica gravitas est ut quantitas extensionis in data quantitate materiae, sive est ut quantitas voluminis in data quantitate massa, adeoque salem contingens, Ergo illud quod specific

cifice levius, potest esse gravius specificē graviori, ideoque & plus virium nisualium habere.

Differentia gravitatis specificā ad gravitatēm absolutam, est pondus cubi æqualis fluido in quo hæret, ubi fluidum omnia interstitia corpusculorum vel replet vel non replet.

Admixto calore materiæ expanduntur, ergo specificē leviores fiunt, dum enim partes quiescunt figuræ carundem magis intricari possunt quam cum moventur, id quod a posteriori patet: aqua coquens majus spatiū, & adhuc majus si in sumum abit occupat, unde ratio diversitatum operationum chemicarum in æstate & hyeme appareat: quin etiam expanduntur, spongias aut pumicis in modum.

Quia specificā gravitas non determinat quantitatēm materiæ, ergo calor per thermometrum in specificō gravi observatus, non determinat quantitatēm caloris respectu quantitatēs materiæ.

Unum præ alio minus, majori quantitatē caloris extenditur seu specificē levius fit, per rationēm nempe quantitatēs materiæ e. g. oleosa, item spiritus vini rectificatissimus majorem ignis quantitatēm postulant pro destillatione quam aqua.

Materia in fluido tantum de pondere suo amittit, quantum æqualis cubus fluidi ponderat: specificā gravitas fluidorum cum sit variabilis, ergo & amissio gravitatis mutationi est obnoxia.

Dempto specificē leviori e mixto, seu quod illud rationē modi extendit, residuum fit specificē gravius quam mixtum fuerat, & gravitas specificā aucta, cum minuit ablationē ponderis, per fluidum in quo hæret oriundam, pars illa gravior fieri potest quam totum fuerat, e.g. sit pulveris fatus regulus antimonii calcinatus, cum regulo antimonii simplici pulveris fato in aëre æquilibrium obtinentes, cum aqua misti & sub aqua ponderati, ubi descendit bilanx regulum calcinatum continens,

D. 2

ergo

ergo regulus antimonii calcinatione specificè gravior factus est,
& eadem ratione regulus post calcinationem gravior debet
esse, quia atmosphera nostræ minorem cubum implet, idem
sentiendum est de similibus.

Specificè gravius in fluido specificè leviori (si non con-
nituntur) subsidet, si contrarium innatæ; id enim quod magnum
natum habet, alterum minus nitens de loco depellit, per ac-
tionem seu applicationem virium altero subiecto habili, uti glo-
bus motus alterum globum quem aggreditur de loco movet:
quia duo corpora uno tempore in eodem loco coexistere ne-
queunt.

Ubi specificè levius locum occupat totum, ibi gravius
depellitur, quia duo in uno loco coexistere nequeunt e. g. spi-
ritus vini summo calore destillatus per capitellum non satis
amplum, leviter aquosus transit, reprimiturque aqua, nam
fumus spiritus vini est levior specificè quam aquæ fumus, quia
iste majus spatium occupat, id quod demonstratur, quia globuli
vitrei cum alcool vini repleti & hermetice clausi, citius fran-
guntur in eodem calore quam similes globuli aqua repleti.

Cum gravitas & levitas sint motus, quibus opponitur flui-
di in quo hærent, gravitas & spissitudo, pro quantitate gravi-
tatis aut levitatis prioris ad quantitatem gravitatis & spissitudi-
nis alterius modo cito modo tarde cadunt aut ascedunt.

Volatilitas est specifica gravitas minimorum: hæc eo facilior
prout vis elastica materiæ, & hæc materiæ elasticitas est prout
causa & conditio sui, causa est calor, calor prout quantitas mate-
riæ, ergo quo major quantitas materiæ eo major resistentia vola-
tilitatis e. g. aqua faciliter destillatur quam oleum, (si objiceretur
quod quia oleum vitrioli coagulatum semper fumat, ergo vola-
tilius est aqua, cum tamē plus materiæ habeat, ad hoc responde-
ndum, quod oleum tale tardissime quidem & ignis gradu vehe-
men-

mentissimo transcendat; fumus vero oriatur dum superficies cum aqua in aere haerens coit; nam oleum hoc cum aqua mixtum instar ignis incandescit, & aqua calore tali expansa ascendit & avolat: de spiritu salis, nitri, &c. idem est sentiendum.

Vis elasticæ extensio par est quantitatæ caloris; quantitas caloris loci est proportionataæ conditionis cum igne & frigidis circumcirca sitis, ergo volatilia ad altitudinem proportionata ad caloris & externorum frigidorum calidorumque præsentiam evolvuntur.

Duo volatilia sibi conjuncta possunt fieri fixiora, dum per conjunctionem illam, quantitas materiae major redditur quam antea fuit ad datum cubum corpusculi, it. quando unum, minus capax est ad recipiendum caloris debitum gradum, alterum refrigeratur, unde extensio præcavetur nisi supersaturatio, sit verbo venia, caloris accedat, e. g. in primo casu sal volatile it. spiritus salis leniori igne destillantur quam sal ammoniacum; in secundo oleum vitrioli coagulatum, item aqua leniori igne destillantur quam commune oleum vitrioli. Lumen tam phosphoricum quam flammæ, a certa reactione mutua phlogisti cum acido oriri potest (non dico omne lumen) e. g. dum hepar sulphuris, quodcumque metallum, ut Regulum antimonii, aurum &c. solvit, exsurgunt scintillulae etiam in vasis destillatoriis & præsente sat leni calore, ubi tamen accensio accusari nequit, sunt autem nihil haec scintillæ aliud quam dum sulphur nimis agitur, partes ejus ut phlogiston quodcumq[ue] cum acido vitriolico unitum, inter se conteruntur ita ut separatio oriatur, unde lumen clarum formatur, nam transit spiritus acidus, uti Spiritus Nitri fumans cum oleis aromaticis in flamman abit. Phosphorus qui nihil aliud est quam spiritus salis, cum phlogisto putrefacto empyreumatico animali, in illo lux obscura aut quasi per vitrum visa tali reactione oritur, nam spiritus salis non tam fortis est

agendo contra phlogiston ut mutationem inferat; ergo lumen manet constanter, & quia sub aqua refrigeratur ideo conservatur, in aere vero non in tantum refrigeratur ergo successive destruitur phlogiston & in liquorem abit acidum & fœces; item digestione & destillatione, ubi reactio augetur perit ejus lumen. Unde deflagratio nitri denotat metallis inesse inflammabile, cum quibusflammam concipit æque ac cum phlogisto & phlogiston cum acido Nitri in flammatum abit & liberat sal alcali fixum, uti spiritus nitri cum oleis aromaticis idem facit.

Nodus est cum res inter se coeunt & cum unitarum actio continuatur, donec vis opposita accedat, ubi oritur cohæsio nam motus permanet etiamsi actio contraria accedat: ratio nodus dependet ab harmonia universali, cum monades sint infinite parvae, sunt enim inobservabiles ideoque & earum actiones, sed cum adunatae sunt, infinita multitudo eorum, & consequenter virium in loco respective parvissimo colligitur, ideoque collectione oritur vis maxima, unde fiunt observabiles i. e. corpora.

Quantitas vis nodus potentialis est, ut quantitas materiae. Domine enim punctum agit, ergo quo plura puncta eo major actio, nisi velimus assumere quod unum punctum altero activius sit, id quod tamen non est probatum.

Modus nodus est diversus nam est prout forma corpusculorum, cum enim monades sint dissimiles sibi, corpora ex illis conflata debent esse dissimilia per eandem rationem; quare autem monades sint dissimiles, ex forma consistit in monadum natura & corporis externa figura, e. g. oleum vitrioli alio modo coit cum sale alcali fixo nitri, cinerum clayellatorum, sale tartari &c. quam cum sale alcali salis communis: nempe tartarus vitriolatus differt multis a sale mirabilis e. g. fusibilitate, crystallisatione &c. Item terra foliata tartari ex aceto cum sale alcali fixo & cum sale alcali salis communis; ex hepate sul-

phu-

phuris (à sale mirabili cum phlogisto tractato) per acetum destillatum confecto, volitilitate & resolubilitate in alcohol multum differt; Sal volatile in aqua solutum in scorrias vertit martem, spiritus salis solvit illum, salis alcali fixi lixivium rodit saturnum, acetum eum solvit, spiritus salis corneam reddit lunam, aquafortis eandem crystallisabilem reddit &c. it. duo corpora leni calore in fluorem reducenda, fiunt difficulter fluxiliora, & saturnus sulphuratus liquidissime fluit, tamen majori igne quam sulphur & saturnus per se egent, item corpus leni calore fluens, ægrius fluenti levitatem fluxus infert e.g. Regulus antimonii martialis, cum ana & plus martis mixtus instar aquæ fluit (nam quamvis totum in aliiquid arsenicale non mutetur, vase clauso tubulato cum præposito recipiente fusa parum sulphuris flavi insipidi, ardentis ut sulphur, sed cuprum non dealbantis, sublimatur.) Ergo modus connisus vim fundendi aut fusoriam caloris variat, ut spissitudo mechanica levitatis, gravitatis, & motus localis effecta variat & alia &c. Calor impedimentum nisus tollit unde addito calore nisus motus fit vivus Calor enim rarefacit & solvit, & soluta possunt agere. Nisus autem & renisus sibi sunt æquales: sint binæ materiæ quantitate differentes, haec dum connituntur, tum minus reagit prout, quantitas ejus materiæ, etiamsi agat majus plus quia minus non plus potest reagere quam quantitas suæ materiæ, ergo perit actio majoris in quantū major; reactio enim idem est ac accipere aliquid, cum plus recipere nequit superfluum evanescit, unde quantitas nisus duorum ut quantitas materiæ cui minor quantitas materiæ. Ergo in materia qua in quantitate major se habet in mixto duorum quorum unius quantitas & inde nisus major est tanta quantitas virium, naturæ suæ, propriarum, quæ quia non eadem est cum nisu, retinet suam naturam, & in tantum contraria est nisu. Grayitas est contra agens nisus. Grayitas est nisus, yesus cen-

1740

trum telluris, nisus est motus quaqua versum directus, hæc cum sint contraria omnia in orbe plena sunt; ideo quantitas gravitatis absolutæ est inobservabilis sed sola quantitas gravitatis specificæ. Cum gravitas specifica a gravitate dependeat ergo gravitas specifica contra agit nisibus i. e. minuit, tollit; & quia gravitas specifica est variabilis per gradus caloris, fluidorum specificie graviorum in quibus natat, ergo data materia, modo plus modo minus minuit, tollit.

Cum quantitas nisus per quantitatem materiæ determinata est, itemque gravitas specifica respectu quantitatis materiæ & caloris, deinde etiam modus seu qualitas nisus quoad formam determinata est, ergo materiæ saturantur diversimode e. g. metalla, terræ cum certa quantitate spirituum acidorum semiscent, uniuunt, connituntur, tum specifica gravitas est major quam acidi adhærentis ad aquam nisus, ergo cadunt sub forma pulveris cum certa quantitate acidi. In saturno vocatur cerussa, talis pulvis majori quantitate acidi eodem modo, ac ante, resolvitur & tum fit crystalliformis vel glaciei formis & vocatur vitriolum seu alumén; Vitriolum resolvitur iterum in liquore acido, tum cohæret ejus metallum pluribus particulis acidis; in luna vocatur corrosivum, ideoque destructo super saturanti liquore non præcipitatur vitriolum, addita evaporatio ne crystallisatur, destructo vero acido quoad vitriolum tum descendit pulvis primus (in Saturno dictus cerussa) e. g. si aqua fortis saturetur cur mercurio vivo, prodit sal & liquor, & affusa aqua & addita majore quantitate mercurii vivi coquatur & digeratur sufficienti tempore, tum in fundo jacet pulvis albus subflavus insipidus (i.e. mercurius præcipitatus dulcis cum aqua fortis preparatus,) liquorem inspissa fit vitriolum, hoc vitriolum in aqua forti solvitur. (Ergo metallum non semetipsum præcipitat, neque omnis mercurius dulcis denotat spiritum salis, uti illi existimant, qui per acidum lactis vaccini sal commune non vescentis idem fieri posse credunt.)

Si

Si nisus accumulatur, aliquando gravitas specifica augetur; unde fit descensus e.g. Mercurius in aqua fortis solutus, præcipitatur a solutione saturata salis mirabilis Glauberi, item nitri, vitrioli Anglicani, nec non ab alcool vini, in dulcem quoad insipiditatem, hac enim demunt aquam, unde mercurius inquantum in scorias redactus cadit, in quantum crystallibilis in mixtione manet, idem de evaporationibus sentiendū est. In quantitate data distensio minuit nisum ad quantitatem datam non distensam. Dem. cum unū distenditur vis ejus distenditur i.e. magis spatium occupat, cum alterum non distenditur per illud spatium hoc vel quia non est tam extensile vel si quantitas nisus cohæsivi non sufficiens ad dividendū, non est ubique ubi est alterum, ergo pars a parte separata est, ergo & vis. e.g. Mercurii solutio saturata per aquam fortē facta, per aquam præcipitatur in mercurium dulcem flavum, idem de præcipitationibus per destillationem sentiendū, nam dum liquores sunt in fumo sunt distensi ergo tum non retinent quod in liquore retinuerunt si alterum non æque expanditur, e.g. si oleum vitrioli sufficienter phlegmaticum cum multiplo alcool vini miscetur, dato calore spiritui necessario, transit alcool & remanet oleum vitrioli.

Distensio tempus actus nisus prolongat, unde si illa nimis magna est appareat ac si nullus nisus adesset (idem facit spissitudo) e.g. spiritus Nitri s. Aqua fortis item spiritus salis si communes non fumantes s. sufficienti quantitate phlegmatis imbuta cum multiplo alcoholis vini aut aquæ miscentur, destillantur, hi mercurium digestione partim solvunt, partim in albam calcem vertunt, prius patet per præcipitationem cum sale alcali fixo unde videmus, quid sit spiritus Nitri & salis dulcis.

Cum omnis nisus habeat determinatam quantitatem & qualitatem ratione modi, ex quantitate unius materiæ aucta minuta it addita vel sublata circumstantia e.g. caloris, aëris, loci si-

E

gura

gura, apertio clausura &c. in mixto producitur in primo casu nisus vivus, in secundo mortuus e. g. ratione quantitatis, acida sufficiente quantitate aquæ saturata non aggreditur a phlogistonis multiplo, si vero aciditas concentrata prævaleat vi aquæ oriuntur connisus cum phlogisto e. g. resina oritur per spiritum Nitri fumantem & oleum destillatum aromat, item similiter Spiritus Nitri fumans aggreditur oleum quod ex destillatione alcoolis cum colophonico digesto & deinde cum aqua destillato confectionum. Ratione circumstantiæ sal mirabile Glauberi item sal ammoniacum secretum Glauberi nec digestione nec destillatione cum alcool vini coëunt, si salia illa in retorta tubulata funduntur præposito recipiente magno tubulato, si per tubulum retortæ epiftomio instructum guttatum alcool dimititur, sal mirabile abit in hepar rubrum, quod omnia phænomena cum hepate sulphuris communia habet e. g. saporem odorem, attractionem aëris, nigrescentiam; solutum & per acetum destillatum saturatum dat sulphur flavum ardens ut sulphur commune, sal alterum dat corpus nigrum, quod ignitum fit rubrum, flammam non concipiens, & sulphur flavum sublimatum inflammabile cum odore sulphuris communis ardentis, nummos argenteos dealbans, transierunt sal & aqua &c. &c. quæ cum impetu transmissa.

Si duo cohærent & acedit tertium, cum uno illorum contineat sed modo contrario primi connisus, tum si tertium est levius primo, primum separatur. Nam nisus est prout quantitas materiae levissimæ, ergo reliqua quantitas materiae in quantum adhuc plus virium recipere possit, retinet suam naturam, quæ cum non æqualis est cum nisu ergo, hac ratione leviori accedenti, locum cedere debet e. g. Mercurius sublimatus cum pinguedine animali mistus destillatus dat Mercurium vivum & analogum phosphori, qui cum mercurio vivo non coit.

Cum

Cum duo coherent, accedit tertium cum uno eodem modo
(ac illa duo coherent) connitens, non vero cum altero, si tertium
accedens est specificie levius altero, tum alterum per specifici-
cam gravitatem descendit & tertium cum primo unitur. De-
monstr. unum habet determinatam quantitatem nisus ad ma-
terias, ergo aequenititur ad tertium quam ad primum, gravi-
tas specifica renititur, ergo quod minus resistit, locum occupat
illius quod magis resistit e.g. sit Tinctura antiphthysica Graefian-
ni (multis ob saturnum suspecta) Saccharum saturni item ostra-
codermata quaecunq; & terrestria in aceto destillato soluta cum
vitriolo anglicano aut vitriolo martis factio ex acido vitrio-
lico cum marte, miscentur, mars invitriolo ordinario non
est acido saturatus ut acidum aceti non admittat, hoc demon-
stratur quia solutio vitrioli anglicani cum aceto destillato mi-
sta & evaporata, dat eandem tincturam (nam acetum non po-
test profigare oleum Vitrioli) specifica levitate locum saturni
ostracodermafum & terrestrium occupat & saturnus in forma
cerussæ albæ cadit specifica gravitate majori quam in marte
est, deinde per alcool vini mars cum aceto destillato junctus
solvitur in tincturam rubram saporis sub austeri, subdulcis,
quæ in omnibus similis & æqualis est tincturæ, quæ ex martis
limatura cum aceto destillato ad siccitatem cocta deinde per
alcool vini facta est, in residuo priori adest adhuc mars id
quod per solutiones patet, cui adhaeret oleum vitrioli. Simi-
lis tinctura oritur si æs viride destillatum (sic diætum) cum li-
matura martis rubiginosa miscentur & affundatur alcool vini,
tunc prodit tinctura viridis (nam viride aeris solvitur in al-
cool vini in coeruleum & mars aceto unitus in rubicundum, &
colores hi misti constituant sub viridem) quæ cum per aliquot
tempus stat & aliquoties movetur, fit tinctura rubicunda sapo-
ris subdulcis sub austeri, nempe mars levitate præcipitat ve-
ncrem unde tincturæ tales nihil aliud sunt quam martis vitrio-

la per acetum facta & quatenus tale vitriolum purgat, eodem modo tinctura aperit.

Si duo cohærent, & unum eorum etiam cum tertio sed alio modo cohæret, tertium vero non cohæreat cum altero mixti tum miscentur, e. g. sal alcali fixum cum oleoso unitum cum aqua miscetur ut sapo.

Cum ortus nisus variari potest ratione modi ergo genesis nisus unius potest opposita seu impediens esse alteri genesis, e. g. saturnus sit cum regulo Antimonii simplici fusione mista, sub fusione limatura martis non intrat, cum tamen regulo martiali cum saturno mixto fuso sub fusione limatura martis intrat, & simul liquide fluunt sufficiente quantitate caloris, sine ulla separatione.

Si ex coadunatione gravitas specifica oritur descendunt ex fluido e. g. spiritus salis lunam reddit cornuam, aqua fortia in scorias vertit, luna talis delapsa ex aquaforti continet partim spiritum salis & partim spiritum nitri, ergo si funditur præbet odorem aquæfortis & alia phœnomena quæ non in luna cum sale communi & alumine aut vitriolo cementata quoad pelluciditatem & cohæsionem, unde in prima instillatione accidi salis coagulum.

Si duo cohærent & unum cum tertio cohæret tamen diverse quoad modum, alterum tertio non connititur, tum alterum cum proportionata quantitate primi & tertii, specifica gravitate si aucta, descendit e. g. sit luna solvatur in aqua fortia & præcipitetur sale alcali fixo tum luna non connititur cum sale alcali, tamen haec tres descendunt ex liquore, præcipitatum fusum dat lunam puram cum innatante nitro. Eodem modo descendit luna & aurum per sal volatile, hic a prima instillatione nulla lactescencia.

Sint quatuor materiae, quarum duæ sint liquores quæ cum

dua-

duabus solidis eodem modo connituntur, primus liquor sit gravior secundo, & unum solidum gravius altero, tum levius solidum præcipitat gravius solidum & gravi fluido liberatur levius fluidum ergo gravius fluidum cum leviori solido & levius fluidum, cum graviori solido connituntur. e. g. Vitriolum Cyprinum cum alumine (ex aceto destillato cum terra calcea-
rea uti ostracoderma conchæ &c. oc. cancror. &c. confecto)
mistum & cum alcool viñi digestum dat tincturam cœruleam
viridem ubi terra levis præcipitat venerem ex acido vitriolico,
& oleum vitrioli gravius acetum destillatum liberat, unde tinc-
tura veneris ex aceto, venere & alcool viñi constans exsurgit,
idem de nitro cum turpetto minerali solubili mixto.

Si aliquot fluida volatilia eodem & saturifico modo cum aliquo connituntur, tum magis volatile abit & locum minus volatili dat e. g. spiritus salis ex sale communi depellitur per aquam fortem, ex nitro spiritus nitri per oleum vitrioli, eo-
dem modo cum sale alcali sine dubio connituntur, gradus vo-
latilitatis probabiliter poslunt concludi, quia lenissimo igne
ascendit mercurius sublimatus, fortiori cum spiritu nitri unitus,
& quia turpethum minerale candentem ignem sustinet.

Quia unum quodque saturatur, si divisibile sufficienter
ut supersaturari possit accipit proprietates infinitæ parvitatis i.
e. amissionis gravitatis specificæ & vis cohæsionis augetur e. g.
solutio mercurii in duodecuplo aquæfortis non præcipitatur
neque per spiritum viñi neque per spiritum salis armoniaci
neque per sal alcali fixum in s. q. aquæ solutum it. mercurius
in quadruplo aquæ fortis solutus cum solutione tartari vitrio-
lati, salis mirabilis Glauberi, oleo vitrioli, solutione vitrioli
Anglicani, vitrioli Cyprini, viridi æris destillati, aceto ly-
thargyrii, solutione aluminis, nitri (imprimis si addatur aqua
& coquatur) sine præcipitatione unitur.

Alia super saturari nequeunt e. g. sal volatile cum acidis it. sal commune cum spiritu salis, nitrum cum spiritu nitri, talia alcalia non plus recipiunt acidi quam ad saturationem, requiritur, deinde solvuntur in acidis eodem modo ac in aqua, unde destillatione & evaporatione separatur superfluum acidum & salia remanent immutata.

Cum nisu[m] causa[re] occasio[n]ales sint diversae e. g. fluiditas major minor, auctus motus intestino localis, distractio, cumulatio &c. quoad quantitatem & qualitatem & nisu[m] modos diversus est, illae ut motus, tempus modo parvum modo longum requirunt e. g. mars infrustis tardius in sale alcali fixo fusione (ad moto igne carentissimo, nam a fundenti Sale alcali mars non aggreditur, sed a coquenti quasi) solvitur quam Jovis, it. folia (Stanjol) in aceto destillato tardius solvuntur quam in Aquafort.

Cum fluidum habeat immixtum aerem, aquam, calorem, haec illud pervadunt, item cum materiae in variis partibus varias specificas gravitates inferant, oritur motus intestino localis e. g. per aquam coquenter assurgunt bullulae quia inferior pars magis expanditur &c. unde digestione longa materia apparens homogenea variatur e. g. sal volatile siccum purissimum longa digestione in vitro hermetice clauso abit in fumum & paucum spiritum urinofum cum foecibus, qui busdam: spiritus salis armoniaci per calcem vivam destillatus it. aqua in vitro hermetice clauso digesta sublaetescunt & depo[n]unt foeces, haec tres foeces sunt ejusdem coloris variegati, formae squamosae fixae, in lunam fusam projectae in vitrum abeuntes, eodem modo tractatum oleum Juniperi rubescit (inde scitur quae tinctura sit oleorum cum Antimonio & Cinnabari digestorum.)

Mixtio nisu[m] diversorum quoad quantitatem & qualitatem & quoad externa oritur cum partes mixti habent inter se

se diversos nisus & modos nisuum, hos successiue inter se ex-
cercerent ratione contiguitatis per leges gravitatis specificæ, &
mixtionis e. g. spissitudo, parvitas &c. & causarum occasiona-
lium uti aér, Aqua, calor externus applicatus seu interne or-
tus, agitatio &c. ut fluiditatem & motum intestinum localem
communicantia, nec non varietas compressionis e. g. occlusio
vel apertio vasorum &c. &c. e. g. Urina humana si putrescant
destillatione dant aquam, spiritum urinosum, sal volatile, oleum
empyreumaticum, Caput mortuum nigrum ex quo elixiviatur
sal commune in carbone vivo decrepitans, segnius fusile. Si
ante putrefactionem instituitur evaporatio ad siccitatem fit
puls ex qua fere nihil elixiviari potest, itidem destillatione prodit
aqua pauca, sal volatile, oleum empyreumaticum, Caput mor-
tuum nigrum quod sal commune dat. Si ante putrefactionem
fit evaporatio ad levissimam sirupi formem consistentiam &
tum adhuc calide filtratur, deinde leni igne evaporatur, in
cella posito in fundo crystallatur sal lamellatum brunnum,
quod exemptum & charta bibula siccatum est facillime fluxile,
in vitro in arena posito clare fluens, sursum omne oleosum
dejiciens, in carbonibus vivis ad moto vento fluens clare in-
star vitri & fixum, ex metallis colores extrahens varios, aërem
attrahebant &c. ergo à sale communi differt. Sub deflagratio-
ne sulphuris levissima mediante ellychnio lampadis forma
ascendit spiritus qui se solutioni salis alcali fixi aut salis vola-
tilis unit (in sub clauso vase e. g. tonna ut plurimum clausa)
deinde a sale alcali fixo abstractus, est saporis subausteri, sui-
bacidi, fortiter narcotici in terne sumptus) inspirando respi-
rationem suffocans (quod etiam salia illa efficiunt) sal tale me-
dium fixum fusum, cum phlogiston saturatum, dat sal rubrum
quod solutum nigras foeces deponit saporis & odoris hepatis
sulphuris, ex quo concludendum, quod sit acidum ytrioli-

cum

cum cum phlogiston non saturatum, cum aqua dilutum (quam sub ustulatione in aere atraxit) quia saturatione cum phlogiston reducitur in sulphur, quanquam caput mortuum destillationis salis det sal alcali fixum & non tartarum vitriolatum.

Sub forti exustione sulphuris destruitur totum phlogiston in nihilum quasi, quia paucissimus levissimus pulvisculus remanet, unde in fumo situm sal volatile abit in sal ammoniacum secretum Glauberi, it. quae habent connisum cum sulphure ut Nitrum, si cum sulphure detonantur, ratione phlogiston & acidi nitri, accedente calore ignis, eadem ratione producitur flamma ac spiritus nitri fumans cum oleo caryophyllorum, ideoque liberata, ut supersunt sal alcali & oleum vitrioli abeunt in tartarum vitriolatum; item sal alcali fixum solvit sulphur vario modo ergo [sub] ustulatione leni destruendo phlogiston nascitur tartarus vitriolatus (cum e contrario sal commune cum sulphure non connitur unde ustulatione in sal mirabile nullo modo abit.)

Ne dicam quomodo acidum vitriolicum cum alcohol vi ni modo oleum in magna quantitate sola destillatione summe narcoticum, cum sale alcali volatili & fixo & acidis æque effervescens producat quod tamen cum novo acido vitriolico incarbonem abeat, qui destillatione sulphur flavum suppeditant, deinde reverberata candefacta fiammam concipiens evolant reliquo paucissimo pulviseulo, quemadmodum a sulphure combusto relinquuntur; oleum illud est acidum Vitriolicum cum phlogiston super saturatum, carbo ille est singulare sulphureum magma cum terra pingui nigra (quæ in omni hepate sulphuris generatur) coadunatum, unde a quam respuit, alio modo & circumstantia combustionem præcavens e. g. per sal urinosum mixtio abit in sal facile fluxile sal fixum, album sine carbonis conspectu.

Si

Si hepar sulphuris cum metallis funditur, non eadem semper est solutio mechanica e.g. Antimonium cum aria & dimidia salis alcali fixi fusum dat tincturam rubram saporis acris vomitum & purgationem in magna dosi exhibita excitantem: haec evapora & reiterate soluta mutuo modo in alcohol vini & in aqua, praecipitatur in mucum flavum & remanet sal alcali fixum album in alcohol vini irresolubile; mucus ille siccatus in vitream substantiam brunam fluit, in carbone vivoflammam non concipit, quæ phænomena eadem sunt quæ in tinctura Antimonii acri, ex regulo cum Nitro confecta, apparent. Si vero sumitur ad Antimonium quadruplum salis alcali & quadruplum Sulphuris, fusum magma in aqua fere integre solvit & dat tincturam, tincturæ hepatis sulphuris in omnibus similem sapore, odore, & si diutius steterit eadem cum ista modo alteratur. Ergo primæ tincturæ sunt solutiones salis alcali fixi cum croco metallarum combinati. Unde innotescit quare mars & venus simili fusione cum hepatæ sulphuris, non præbeant tincturam similem tincturæ Antimonii & Auri.

Hepar sulphuris cum metallis mixtum, fusum, ab injecto nitro non detruditur metallum vi explosionis, sed si pulverisata mixta successive detonantur, sic destruitur sulphur & alcali, unde metallis quæ non solvit permittit cadere quare in primo casu multiplum nitri non efficit quod paucū ejus præstat in secundo.

Per putrefactionem producitur sal volatile tam in regno vegetabili quam animali, & in animali semper (nam jas carnum nunquam acepsit sed semper putrescit in urinosum hinc præcipitat saturnum ex aceto destillato, & martem ex tinctura martis per salarmiacum sublimatum ex tracta.)

Per combustionem in regno vegetabili generatur sal volatile nempe fuligo (sive addita urina it. sale commune sive non) distillatione dat sal volatile (nunquam ut describitur sal armiacum ex additione salis communis.)

F

Per

Per destillationem oleorum empyreumaticorum vegetabilium, animalium, mineralium, ut oleum ex carbonibus fossilibus bituminosis vulgo *Steinkohlen*, destillatum, cum sale alcali fixo & calce viva mixtis (ad retinendum oleum) prodit spiritus urinosus (non alcoholi vini quanquam oleositate ardat, quamdui in fumo est, collectus enim flammam non concipit, inde innotescit quid sint spiritus sanguinis, it carbonum bituminosorum ardentes &c.)

Per vitalitatem in animali regno generatur sal volatile & sal essentiale ante descriptum, in regno vegetabili camphora non sal volatile uti aliqui prætendunt, qui herbas aromaticas vocant alcalescentes.

Per deflummationem in regno animali relinquitur terra calcarea, nullum sal fixum, in regno vegetabili terra calcarea cum sale alcali fixo e. g. sint testæ probatoriae.

Cum motus localis intestinus est causa occasionalis motus intestini immutativi, ergo causæ motus intestini variant motum intestinum mutativum e. g. in vase clauso nulla effervescentia nec flammæ genesis.

Affimilatio est cum ex concursu duorum, unum formam alterius in se recipit e. g. contagium venereum, scorbuticum, canis rabidi, variolarum, purpuræ &c. ex pauca contigua quantitate tactu, gustu, insitione mutatur totum corpus & hoc procedit in infinitum (& tamen est operatio chemica) & per solam harmoniam explicari potest, ubi ex concepta idea alterius, alterum se mutat propria vi quoad constitutionem, constructionem, & cum forma non sit ens simplex ideo omnes tales morbi in uno quoque ultimo corpusculo corporis per ejus modum formam simul coexistere posse facillime concipi potest.

Venenorum propriæ dictorum animalium, quæ curiosa sunt e. g. tarantulæ, vegetabilium quæ violentissima, mineralium

lium quæ lentiora, insensibilia, constantiora, item narcoticorum vegetabilium & mineralium, ut & specificorum actio, non potest aliter concipi quam per harmoniam universalem, ubi alterum ad alterius contiguitatem se mutat, quoad sui formam aut in mortem aut in sanitatem.

Cum subjectis chemicis nil in sit sine quadam conditione, conditio se manifestat phænomenis, ergo inquirenda omnia phænomena quæ rei competunt, deinde inquirendum quare illa rei competant. Si ratio in re ipsa reperitur, tunc illud rei competit, si ratio extra rem reperitur, tum sub certis circumstantiis rei solum competit, hoc se manifestat cum res consor-
tium aliarum rerum, omni possibili modo variat.

Supposito effectuum naturalium ejusdem generis easdem esse causas, ergo subjecta chemica in quoad phænomena habent communia in tantum sunt æqualia, exemplo sit tinctura martis coerulea Poterii & Etneri, nam non sensibilius phænomenon est quam color, recipiatur chalybis libra una salis, armomiaci libræ tres, aquæ q. f. digeratur filtretur & cum solutione salis alcali ex foecibus vini ustione & elixatione parati misceatur deinde destillatione avocetur spiritus urinosis & inspissetur sal, sal resolvatur in spiritu urinoso unde tinctura emergit. Ex aliis notum, quod Sal ammoniacum martem solvat, sal alcali fixum liberat sal alcali volatile, ergo remanet sal digestivum Sylvii cum marte unitum, ex quo cum spiritu urinoso extrahitur tinctura. Corrodatur mars cum sale communi & spiritus urinosus affundatur, nulla prodit tinctura, ergo in parte miscelæ querenda ratio, dubium vero oritur quia sal digestivum admixtum habet cuprum, unde purgat (quod ex vasis evaporatoriis accepit, idem quod probatur per colorem coeruleum capitis mortui a rectificatione salis ammoniaci residui) an non cupro tinctura adscribenda, hoc tamen evincitur si sal ammoniacum

sufficienter rectificatum, ergo in alia parte, sumatur ad opus
sal alcali fixum cum resina vel glutine vel sanguine ustione &
elixatione præparatum, tum impetratur tinctura, ex hoc con-
cluditur quod combustum in causa sit, si sumitur sal alcali
fixum purum, & spiritus urinosus cum oleo C. C. it. Tartari
mixtum tum fit tinctura rubra ergo tinctura a combusto tam
animali quam vegetabili, non vero ab oleo empyreumatico
ut oleo, & quod hoc verum sit magis probatur quia totus mars fit
præcipitatum siccum coeruleum ex tinctura martis quæ ex
marte cum sale ammoniaco sublimato per alcool vini extra-
cta est, per solutionem salis alcali fixi (quod ex sale alcali fixo
cum limo usto elixatum) cum spiritu salis ammoniaci parum
mixta præcipitatur, cum tinctura est compositum partes sin-
gulatim considerari debent, & quæ demi possunt non contri-
buunt ad phænomenon, idem de circumstantia & condicio-
ne partium unde eruitur sub qua conditione rei competit.

Productio novorum fit quando fingo conditiones (neque e-
nim opus est ut ratio conditionum nota sit) quæ rei producendæ
convenire debent, ergo hoc compono ex rebus tales condi-
tiones habentibus, ideoque præsupponit notitiam conditionum
rerum nec non modorum combinationum, ut & influxus qui
ab externis & causis occasionalibus ad componendum oritur, &
quia materiae cœteroquin diversæ, phænomena possunt habere
communia, ideo ex diversis potest idem desideratum formari.

Novum producendum est vel quod jam fuit, per analy-
sin quoad constitutionem examinatum, vel quod per notam
scientiam chemicam compono.

Ex his satis patet quomodo natura se vario modo format,
transformat, reformat in pristinum statum & nunquam con-
stans sit & hoc partim per solius connexionis rationem, quia
natura proprio motu diversimode agit, ad diversi alterius præ-
sentiam, partim per mechanicam rationem formarum corpo-
rum,

rum, unde latitudo chemia non solum oritur, sed & ejus incertitudo & fallacia e.g. colores ut plurimum a phlogisto produci observantur inde si concluditur Mercurii sublimati rubri, ex mercurio cum aqua forti preparati, color a phlogisto esse, cum mercurius precipitatus sublimatus, qui sub microscopio resolvitur in mercurium & sal: sal commune cum carbonibus vivis dat sublimatum adspicere idem ut sublimatum ex minera vulgo dicta **Gulden Erz** paratum, si inde concludatur, quod sit arsenicalis prosapia, cum tamen neque cuprum tingit neque necat: fumi olei salis & olei vitrioli sunt ejusdem coloris, odoris: ergo oleo vitrioli inexsistit spiritus salis, it. subtilia sulphura antea allata, & sub tonitru ex aere cadentia numeros dealbant, quod mercurius etiam facit, ergo sunt mercuriales, ferrum candens inflatum albescit ergo magis incalescit, phlogiston reducit omnia scorificata metalla, ergo & arsenicum in regulum, qui tamen neutiquam sic fit & si ubique ita descriptus legitur &c. &c.

Hodierna chemia cum formas formarum & inde etiam modos modorum ignorat, est mere empirica, unde regulæ mechanicae solius usus sunt ad explicandum non ad cognoscendum, empirica scientia est, quam rusticus habet & exercet in sua agricultura: quare talis scientia pro oblectamento animi est nam eorum ratiocinium simile est coecis qui oculis rationes formant de pictura, quod cum in exemplis magis elucescat, ideo exempla præmisi.

Apparet porro quid de Processibus chemicis, & Pharmaceuticis amplissimis compositionibus nec non dilaudatis infallibilibus arcanis credendum & quæ sit ratio quare unicuique operatio chemica non eodem eventu desiderato succedat, præ primis quam difficillimum sit eventus rerum praesagire, & quid unum quodque mixti ad mixtum & ad actum miscendi contribuat determinare.

SOLI DEO GLORIA!

NOBILISSIME ET EXPERIENTISSIME

DOMINE LOSSAV!

Honores Academicos, quos maximi in arte medica progres-
sus promeruere, quosque Facultas nostra virtutibus &
profundiori scientia Tua destinavit, jam dudum Te ex-
spectarunt, postquam iactis in omni medicina parte fundamentis,
dignum Te iisis prebuiisti, ratione aequa ac experientia fultus.
Fauet Tibi Medicina oculus anatomia, quam dexterrime admini-
strare didicisti; fauet praxis, medica aequa ac chirurgica, quam
summa cum laude quotidie, raro exemplo exerves. Totus Tibi
concinet medicorum chorus: Ego autem ex animo gratulor; Deus
Te servet in Artis splendorem, & multorum commodum, ut per
Te plures serventur Reipublicae cives, cuius summum bonum Pla-
to in periis collocavit medicis, non nescius, quod urbium felici-
tas non tam in multitudine viventium consistat, quam in agro-
rantium paucitate, quia ibi vivere suave est, ubi valere tatum.
Vale!

Hæc sincera mente deprope-
rabam

PRÆSES.

SOTI DIO GORTI


01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







47. 26.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.
**DE
VALORE MEDI-
CINAE ET CHEMIAE
HODIERNAE.**

QVAM
EX DECRETO
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA
 PRAESIDE
WILHELMO HVLDERICO
SALVATORIS SCHMIDZE/
 MEDIC. DOCT. PROF. PRIMARIO, PHYSICES EXPERIMENTALIS ORDINARIO, ACADEMIAE SENIORE, ET COLLEGII CAESAREI NAT. CVRIOS. COLLEGA, FACULTATIS MEDICAE DECANO, ET COLLEGII CHIRVRG.
 PRAESIDE,
 PRO DOCTORALI DIGNITATE, IVRIBVS,
 PRIVILEGIIS RITE, MAIORVMQVE MORE
 IMPETRANDIS,
 IN AUDITORIO MAIORI
 DIE II. ET III. MENSIS NOV. M DCC XXV.
 HORIS ANTEMERIDIANIS
 PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SISTIT
CHRISTIANVS IOACH. LOSSAV,
 ARCHIATER DVCALIS.
 KILIAE, LITTERIS IO. CHRISTOPH. REVTHERRI, ACAD. TYPogr.